Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 855
Quelle:
Copyright:

talmut que transtulit frater Theobaldus suprior ordinis predicatorum parisiensis. Et finit: *quod fere submerserat XII. exploratores.* Confer, quae de hoc Tractatu diximus ad *Codd.* in *Indice* notatos.

IX. *fol.* 164. p. 2. *Tractatus Paschalis de roma contra iudeos.* Praemittuntur sequentia: *Paschalis de roma hoc opusculum disputacionis iudeorum contra sanctum anastasium abbatem ad honorem venerabilis patriarche gradensis heinrici dandoli fideliter ac deuote transtulit. Anno domini M°. C°. LVIII. Henricus* hic sedit ab an. 1130. usque ad an. 1186. De *Paschali* non habeo, quod dicam. *Anastasii*, quem Abbatem S. *Euthymii* in *Palaestina Joh. Damasceno* συγχρονον fuisse censent, opus mutilum e *Canisii antiq. Lect.* T. III. in T. XIII. *Bibl. PP. Lugd.* ad p. 333. transiit, interprete *Franc. Turriano.* Quod in *Cod.* nostro habetur non nisi ejus 'επιτομην dicas, licet non parum etiam cum *graeca Disputatione*, quae sub *Athanasii Alex.* nomine *ms.* in *Bibl. Aug.* extat et a *Lambecio* L. V. p. 135. indicatur, congruat. Et quid, si *Athanasius* natus ex *Anastasio*, aut vice versa? Initium nobis: *Interrogauit Judeus. Cum preceperit deus ligna non esse adoranda. quare christiani ea colitis et adoratis facientes ex illis cruces et ymagines. Christianus dixit* &c. Finis: *baptizati sunt christum verum deum et hominem confitentes cui gloria* &c.

X. *fol.* 170. p. 2. *Incipit tractatus Ieronimi de incarnatione domini contra iudeos.* Et rursus: *Incipiunt capitula primi libri de eterna et temporali christi natiuitate. quem edidit beatus ieronimus ad confutandam Judeorum ceterorumque impiorum perfidiam. et ad corrobandam fidem christianam.* Initium: *Inpij iudei prophetis dei increduli* &c. In medio rubrica: *Huc usque de eterna christi nativitate dictum est. deinceps de temporali.* Finis: *et in templum proiecit et laqueo se suspendit.* Mera textuum biblicorum congeries adjectis breviter expositionibus, quarum ut multae *Hieronymi* sint, alias tamen ex aliis Patribus ignotus Compilator depromsit.

CCXLVII. ablatus a g.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 238. f. peritissima manu scriptus, frontibusque et literis initialibus non inferiore penicillo deauratis et depictis jussu et sumtibus *Matthiae Corvini* Hung. Reg. continet I. *Commentaria Hieronymi super Matthaeum. Fol.* 1. p. 2. in serto omnibus Florae Pomonaeque copiis divite charactere aureo quadrato legitur: *In hoc Volumine haec continentur. Divus Hieronymus in Matteum in Marcum in Ecclesiasten item quaedam alia Opuscula.* Ora *fol. seq.* ornata est Icone Servatoris, quatuor Evangelistarum et ipsius Regis Μθσαγετθ, tum Insignibus illius et speciatim Corvo, praefertque hunc titulum: *In-* 55 Cod. 930